DISSERTATIO IURIDICA DE COMPETENTIAE BENEFICIO ADVOCATIS...

Abraham Kästner, Erdmann Benjamin Schwitzke, Valenti Gonzaga

Digitized by Google

Digitized by Google

DISSERTATIO IVRIDICA.

DE BENEFICIO COMPETENTIAE ADVOCATIS COMPETENTE.

§. I.

PErmulta deprehenduntur priuilegia, quae Doctoribus partim in iure noſtro, partim ab Imperatoribus, nec non aliis, quibus Summa Rerum concredita eſt, conceſſa ſunt, in quibus euoluendis ac recenſendis edecumatae auctoritatis viri occupati fuere diu, proptereaque nullo modo eorum enucleationi immorabimur, et ex omnibus, vnum ſaltem, quod ipſis tribuitur, paulo latius conſideraturi ſumus. Eſt illud *Beneficium competentiae.* Deſcribunt hoc communiter, quod ſit *beneficium certis perſonis, ne ipſis ob debita omnia bona auferantur, ſed ad alimenta ſufficiens portio relinquatur,* conceſſum. Vocatur alias ius et priuilegium competentiae, beneficium deductionis, beneficium exigendi, priuilegium victus,

Multa conceſſa ſunt Doctoribus priuilegia, ad quae etiam refertur beneficium competentiae.

quid ſit?

quomodo alias dicatur?

ſacultas competionis, exceptio in quantum quis facere poteſt, etc. Si ſedem huius quaerere velis, euolui poterit *§. 36. et ſeq. Inſt. de act. l. 3. §. 4. de minor. l. 51. §. 1. de procurat. l. 3. pr. de Conſtit. Princ. l. 2. ff. et C. quod cum eo qui l. 63. pr. pro ſocio l. vn. §. 7. C. d. R. V. A.* in quibus omnibus et aliis adhuc pluribus beneficii huius ſit mentio. Beneficium competentiae autem ex eo dici volunt: *quia relinquenda ſunt alimenta, pro conditione perſonae*, vt competenter *viuat. vid.* ZASIVS *ad l. 16. pr. de re iudic.* vel ideo: *quod condemnatus non ſoluat*, niſi quantum *competat*, i e. conueniat. *vid.* GIPH. *Tr. de ordin. iudic. c. 24. p. 190.*

§. II.

Beneficium competentiae tribuunt Doctoribus. et quidem a. l. 18. de re iudic.

Doctoribus dictum priuilegium omnes vno ore concedunt, quamuis, quod omnes etiam fateri neceſſe habent, hoc nullo iuris textu expreſſo firmari queat, quamobrem plerique adſerentes ad *arg. l. 18. ff. de re iudic.* confugere ſolent, vbi militibus hoc beneficium conceſſum legitur, ad quorum exemplum, vti ex infra dicendis adparebit, Doctoribus tale, vſuali potiſſimum interpretatione, etiam tributum eſſe conſtat.

§. III.

An omnibus Dd. Theologiae, Iuris et Medicinae competat? nos adfirmamus. Berlich. id ſaltem Dd. Iuris concedit.

An vero noſtrum beneficium omnibus *Theologiae, Iuris* et *Medicinae* Doctoribus competat? paucis videbimus. Nos adfirmatiuam amplecti nulli dubitamus. Diſſentit quidem BERLICH. *P. I. concl. 80. n. 53.* priuilegium competentiae iuris ſaltem Doctoribus tribuens, ob rationes quas ipſe *loc. cit.* adducit. Quia vero hae non ſunt tanti momenti, vt calculum mereantur, et in Doctoribus Theologiae ac Medicinae eadem etiam deprehenditur ratio, quae eſt in Doctoribus iuris, pleri-

Digitized by Google

plerique a BERLICHII recedunt ſententia, quorum multi etiam ab ipſo *d. l. n. 54.* ſunt citati. Idem vero priuilegium Doctoribus, quos vulgo *Bullatos* vocant, denegat COLER. *de Proceſſ. execut. P. II. c. 3. n. 29.* cuius ſententia et nobis verior videtur. Interim de hiſce *Bullatis* videri poteſt SPECKHAN. *Centur. I. quaeſt. 22. p. m. 24.* qui *Bullatis* nulla priuilegia tribuit, quem tamen refutat IO. GEORG. SIMON, diſſertatione, de Doctoribus bullatis, *cap. 3.* ad cuius rationes in conflictu forſan reſpondebimus.

An Dd. Bullati hoc gaudeant? Negat Colerus et Speckhan, a quibus recedit Simon.

§. IV.

Controverſum aliquando fuit: an etiam Licentiatis legitime promotis, priuilegium dictum ſit concedendum? et quamuis quaedam rationes pro negatiua ſententia a quibusdam corradi ſoleant, inermes tamen et minus ſufficientes exiſtimantur merito, cum ea, quae Doctoribus competunt priuilegia ac beneficia, Licentiatis non ſint deneganda, hinc vbi haec controverſia mota et decidenda erat, non dubitauit *Fac. Iur Wittemb.* adfirmatiue pronunciare, *Menſe Sept 1721* his adiectis rationibus: Obwol in denen Rechten kein deutlicher Textus Iuris anzuzeigen, darinnen denenjenigen, welche einen Gradum Academicum, beſonders in denen obern Facultäten, erlanget, das Beneficium Competentiae nachgelaſſen, auch nicht zu läugnen, daß, da die *Creditores de damno vitando certi*ren, ſolches um deſtomehr zu reſtringiren ſey; Dennoch aber und dieweil wenigſtens vſu fori denen *Doctoribus* ſolches Beneficium ertheilet wird, *vid.* de BERGER *P. II. Supplem. ad El. Diſc. forenſ. p. 654.* die Licentiati auch ordentlich diejenigen Priuilegia, ſo denen Doctoribus zuſtehen, zu

An Licentiatis competat? adfirmatur. Praeiudicium ICtorum Wittemberg.

genieſſen haben, *vid.* ITTER *de honoribus Academicis*, *cap.* 14. §. 40. *ſeqq.* immaßen denn der nur bemeldete ITTER *c. l. c.* 23. §. 15. nebſt denen daſelbſt allegirten *Doctoribus*, ſolche auf die *Licentiatos expreſſe extendirt*; Im übrigen aber, ehe eine gewiſſe *Maſſa concurſus* ausgemachet worden, ein gewiſſes *Quantum*, und wieviel zu ſolchem *Beneficio* dem *Debitori* auszuſetzen, nicht füglich *determinirt* werden kan; So iſt ꝛc. ꝛc. *vid.* de WERNHER *P. IX. Obſ.* 218. *p. m.* 389.

§. V.

An Advocatis gradu academico non decoratis competat? Negant Scabini Ienenſes et ICti Vitembergenſes.

An vero competentiae beneficium etiam Aduocatis, qui gradu aliquo academico decorati non ſunt, competat? in ſpecie nunc videndum. Diſſentiunt autem etiam hic pro more Doctores. Domini *Scabini Ienenſes, Menſe Dec.* 1706. in George Adam B. *Aduocati* von R. Schuld- und *Priorität*-Sachen negatiue, hunc in modum reſponderunt: Deſſen Suchen aber, wegen Verſtattung des *Beneficii Competentiae*, hat, geſtalten Sachen nach, nicht ſtatt. Quam ſententiam poſt interpoſitam Leuterationem confirmauit *Fac. Iur. Vitemb. Menſe Iulio*, 1707. referente de BERGER *in E. D. F. P. II. Supplem. p. m.* 654. et in Oeconomia Iuris, *edit. nou. p. m.* 1199. Econtrario multi, qui hac de controuerſia euolui poſſunt, adfirmatiuae addicti ſunt opinioni, quae etiam nobis negatiuae praeferenda videtur.

§. VI.

Horum ratio 1)

Rationes, quas negantes pro ſe adducunt, potiſſimum ſunt ſequentes: 1) Dicunt, beneficium competentiae eſſe ius ſingulare, iura ſingularia autem, quod nemini

nemini non eſt notiſſimum, de caſu ad caſum non ſunt extendenda, ſed potius reſtringenda, quod procedit eo quoque caſu, ſi non tantum ſimilis, ſed etiam maior adſit ratio, *vid. l. 16. de legib* 2) Aduocatus, qui bonis lapſus eſt, et deinde vult prouocare ad competentiae beneficium, certat de lucro captando, creditores vero de damno vitando litigant, quia igitur, concludunt, de praeiudicio tertii, creditorum agitur, ſtricte priuilegium eſt capiendum, et vltra literam nullo modo proferendum. 3) Addunt, multum intereſſe, agere ſaltem munus Aduocati, et profiteri ſe eſſe Nobilem vel Doctorem, in primis propterea, quia Nobiles et Doctores gaudent priuilegiis Caeſareis, quibus Aduocati deſtituuntur. *vid.* de BERGER *P. II. El. D. F. cit. loc.* 2) 3)

§. VII.

Non vero deſunt, quae ad dictas rationes reſponderi poterunt. Si enim *primam* conſiderare velimus, verum equidem eſt, quod iura ſingularia ad caſus ſimiles extendi non debeant, *vid. l. 14. de legib.* Aſt negatur, a Nobilibus et Doctoribus, quibus beneficium competentiae tribuunt, negatiue inferri poſſe ad Aduocatos. Et certiſſimum eſt neque Nobilibus, Doctoribus, Sacerdotibus, literatis, ſtudioſis, ciuitatibus, et aliis piis corporibus competentiae priuilegium, lege aliqua expreſſa competere, ſed omnia haec *vel* a Superiore cuiuslibet Territorii, *vel* ſtatutis locorum, *vel* vſu dependere; Si hoc concedis, quod concedendum omnino eſt, facile etiam concedes, eandem de vſu in Aduocatis deprehendi rationem, quam in Docto-

Nos adfirmamus. Et reſpondetur ad rationem 1)

Digitized by Google

Doctoribus deprehendere licet, *Conf.* BEYER *ad*
ad 2) *Inſt. Tit. de Act. poſ. 106. lit. l.* Quod ad *alteram* attinet rationem: *Aduocatum certare de lucro captando, creditores vero de damno vitando*, ſane attendi non meretur, quia hic nil ſingulare in Aduocatis conſtituitur, ſed id, quod omnibus, qui beneficio competentiae fruuntur, competit, etiam Aduocatis non denegandum, omnes certe, ad beneficium noſtrum prouocantes, de lucro captando certant, quidni etiam Aduocati? Nihil itaque ſingulare hic vides, cur eodem iure non gaudeat Aduocatus,
ad 3) quo alius? Quoad *tertiam* rationem, concedendum equidem erit, Nobilibus et Doctoribus ſpecialia iura ab Imperatoribus ſubinde conceſſa eſſe, de quibus multa paſſim penes Doctores, qui *vel* expreſſe, *vel* incidenter de his ſcripſerunt, inuenire licet; concedendum etiam eſt hiſce priuilegiis ac praeferentiis non gaudere Aduocatos; Nihilominus tamen exinde minus recte inferri videtur, Aduocatis non competere competentiae beneficium. Poſito enim, id quod concedimus, Doctoribus prae Aduocatis varia competere priuilegia, non tamen ſtatim ſequitur: ergo Aduocatis beneficium noſtrum non eſt concedendum. Vnius poſitio, non eſt alterius excluſio. Gaudeant, licet, ſpecialibus ſuis priuilegiis Doctores, in reliquis vero, vbi iſta deficiunt, Aduocati cum illis pari iure vtuntur. Imo, ſi ſaltim concludere velis: *Quicunque ſpecialibus priuilegiis Caeſareis gaudent, illis prae reliquis competere debet beneficium competentiae, etc.* certe, maior propoſitio difficillimae erit probationis. Itaque Doctoribus vſu fori conceditur competentiae bene-

beneficium, non *qua Doctoribus*, ſed quatenus intereſſe atque vtilitatem publicam promouent, quae ratio certe in Aduocatis etiam deprehenditur, quapropter in his eadem quoque iuris diſpoſitio ſtatuenda, cum ſolitaria differentiae ratio deficiat omnino. Quid? quod multi, via plane obliqua, nunc per *Datiuum*, nunc per *Genitiuum* eiusmodi priuilegia adquirant? noti quippe, imo notiſſimi ſunt verſiculi:

Dignus et indignus pariter nunc ambit honores,
Atque ablatiuus caſus vtrumque beat.

vt eo minus ad ſola privilegia minime, ſed ad id, quod facere debebant, *ſcil.* Reipublicae vtilitatem promouendam, reſpiciendum.

§. VIII.

Aduocatis denique, ſi non ipſa et expreſſa lege aliqua, attamen *legum argumento* certiſſime beneficium noſtrum competere, ſequentem in modum deducimus: Militibus, quia in bello gerendo, ſe ſuamque vitam pro incolumitate Principis et Reipublicae ſalute exponunt, varia ab Imperatoribus Romanis conceſſa ſunt privilegia, inter quae vltimum locum non occupat exceptio beneficii competentiae, quae ex cauſſa aeris alieni militibus indulta, vt nec in carcerem coniici, nec in ſolidum, ſed tantum, quatenus facultates admittant, condemnari poſſint, ne *ſcil.* egeant, *vid. omn. l. 6. et l. 18. de re iudic.* intereſt enim Reipublicae hos non egere, qui eidem inuigilant, nunc autem milites ſanguinem et vitam pro Republica profundunt,

Ratio cur militibus detur noſtrum priuilegium.

B praeter-

praeterea quoque armis occupati, curam rei familiaris abiicere tenentur, et ſaepe egeſtatem pro ſolatio habent; Ideo aequum exiſtimarunt Imperatores illis fauere, qui ſumma pro Republica ſubeunt pericula, ne, neglecta gratitudinis lege, in ſolidum excuſſi, relicto armorum vſu, aliud vitae genus quaerere teneantur, *vid.* WESENB. *conſ. 50. n. 20.* STRVVIVS *Exercit. 44. th. 20.*

§. IX.

Militia eſt vel ſagata vel togata.

An togatis militibus, ſeu Aduocatis competat beneficium noſtrum? adfirmatur.

Sagati et togati milites eodem modo intereſſe Reipublicae promouent.

Militibus igitur per tradita §. *praec.* noſtrum beneficium competere, nemo forſan inficias ibit; Nemo vero etiam militiam eſſe vel *ſagatam* vel *togatam* dubitabit. De ſagata diximus. An vero militibus togatis exceptio competentiae permittenda, videbimus. Et ſine vlla dilatione adfirmatiuam amplectimur ſententiam, identitatis ratione moti. Qualis enim ratio, cur ſagatae militiae detur noſtrum beneficium, illa etiam adeſſe videtur, cur togatae non ſit denegandum. Egregie huc facit lex famoſiſſima *14. C. de Aduocatis diuerſor. iudicior.* in qua Imperatores LEO et ANTHEMIVS ſic reſcribunt: *Aduocati qui dirimunt ambigua fata cauſſarum, ſuaeque defenſionis viribus in rebus ſaepe publicis ac priuatis lapſa erigunt, fatigata reparant, non minus prouident humano generi, quam ſi praeliis atque vulneribus patriam parentesque ſaluarent. Nec enim ſolos noſtro imperio militare credimus illos, qui gladiis, clypeis et thoracibus nituntur, ſed etiam Aduocatos: Militant namque cauſarum patroni, quiglorioſae vocis confiſi munimine, laborantium ſpem, vitam et poſteros defen-*

Digitized by Google

defendunt. Conf. MYSINGER *Obſeruat. Camer. Cent. I. Obſeru. 10. n. 4.*

§. X.

En incomparabilem ſagatae cum togata militia inſtitutam comparationem, vt melior vix reddi poſſit. Aduocati igitur, et omnes, qui in republica regenda concurrunt, prudentia ſapientiaque ſua beneficio noſtro digni merito cenſentur. Omnes enim Prudentes et ſapientes tendunt quoque ad hoc, vt Respublica in quiete ſit et ſine turbis, quod idem et finis eſt militiae armatae. Ob merita quippe in Rempublicam collata militibus competunt priuilegia; Non autem minoris pretii ſunt merita, ſi forte quis inſigni beneficio vel doctrinae vel prudentiae vel magnificentiae patriam ſibi deuinxerit, vel deuincire annitetur, qui ſane pari iure, cum militibus, *iuxta c. l. 14.* gaudere debet. *vid.* VAVD *L. I. quaeſt. 54.* Collimare huc optime videtur inter ſapientes ſapientiſſimi Regis iudicium *Eccleſiaſt. 9. verſ. 16. et 18.* Sapientiam fortitudine et armis bellicis praeſtare, quod Lutherus hoc modo vertit: Weißheit iſt ja beſſer denn Stärcke ꝛc. Weißheit iſt beſſer denn Harniſch.

Prudentes omnes eo tendunt, vt Respublica ſit in quiete.

§. XI.

Si itaque a ſagata ad togatam militiam ducis argumentum, vti conſtanter a *Dd.* fieri adſolet, vix ac ne vix quidem Aduocatis beneficium competentiae denegabis, id quod etiam multi ſine haeſitatione adferunt

Ducto argumento a ſagata ad togatam militiam, Aduocatis beneficium noſtrum dene-

Digitized by Google

gandum non erit. ſerunt, ex quibus vide HILLIGER. *ad Donell. Lib. XXVII. C. IX. lit. N. p. m. 1516.* vbi ſimul *Donello* diſſentienti reſpondet, et multos pro ſententia noſtra adlegat. Expreſſe hoc Aduocatis porro adſcribit SCHOEPFFER. *in Synopſi Iuris Priuati, tit. de ceſſione bonor. n. 20. p. 686.* LVDOVICI *in Doctrina Pandect. eod. tit. §. 8. p. 628.* qui tamen, vti reliqui omnes, quoad mores ſaltem hoc admittit. ZANGER. *de except. P. II. c. 15. n. 12. p. m. 229.* RICHTER. *dec. 24. n. 2.* **Bechmann** *de beneficio competentiae §. 14.* IO. IVL. BVSING. *de benef. competentiae Rintb. 1702. §. 14.* ERNST. TENZEL. *de beneficio competentiae §. 31.* EDVARD. FRANC. GOCLEN. *in diſſert. de benefic. competentiae §. 14.* qui omnes adhuc alios pro aiente ſententia adducunt, vt propterea ſecundum hanc, partim ob rationes *§§. 9. et 10.* adductas, partim ob adſenſum Doctorum, merito etiam pronunciandum eſſe, exiſtimemus. *Conf.* de WERNHER, *de benefic. competentiae C. 3. th. 6. §. 5. et 6.* quae inſerta eſt illius *Obſeruat. Vol. VII. p. m. 706. ſeqq.*

Auctores pro noſtra ſententia.

§. XII.

Sicut autem militibus datum eſt hoc priuilegium *ob militiam*, ſic recte videtur inferri poſſe, quod ceſſante ratione, ceſſet quoque priuilegium ipſum. Hinc etiam concludunt: *Equitibus auratis hoc beneficium non prodeſſe,* quia nullo conſilio vel alio modo ſalutem Reipublicae promouent, *vid* SICHARD. *ad rubr. Cod. de teſtam. milit.* et nuda nobilitas non excuſat ab his, quae facere tenemur. *vid.* TIRAQVELL. *de nobilit. cap. 20.*

Equites aurati hoc beneficio non gaudent,

Digitized by Google

cap. 20. n. 99. niſi cum WESENBEC. priuilegium hoc reſpectu dignitatis perſonae conceſſum eſſe, affirmaueris; quo altius enim dignitatis gradus, eo altius eſſe ius exceptionis, cenſet MENOCH. *Conſ. I. n. 152.* vel quod magis probabile videtur: *Niſi ſingulari intereſſe Domini adſcribas,* huius enim omnino intereſt, ne Vaſalli ad incitas redigantur. Turpe enim eſſet Domino hos fame et egeſtate laborare, imo quod nec ſeruitia praeſtare, nec in curia Domini honeſte ſtare et comparere poſſint. ID. *conſ. 50. n. 19. et 20. Conf.* STRVV. *S. I. F. C. XI. th. 5.* ex quibus rationibus pro militibus, Nobilibus et Illuſtribus perſonis pronunciatum penes CARPZ. *P. I. C. 32. d. 15.* **quidam tamen hoc nobilibus adſcrunt. Eorum rationes.**

§. XIII.

Occaſione et argumento eorum quae §. *praec.* diximus, facile eſt iudicatu, beneficium competentiae non omnibus Doctoribus, non omnibus Aduocatis etc. competere. Doctores enim qui nec actu legunt, nec munus aduocationis exercent, ſed ſua vocatione relicta, alienis negotiis et rebus ad ſui gradus dignitatem non pertinentibus, ſe immiſcent, indigni hoc priuilegio cenſentur, *vid* COLER. *de proceſſib. execut. P. I. c. 6. n. 151.* Sicut enim milites negotiatores priuilegiis militaribus ſpoliantur, *l. vn. C. negotiatores ne militent* (XII. 35.) ſic pari ratione eruditis, mercaturam exercentibus, beneficia denegantur, *vid l. 3. C. de aduocat. diuerſ. iudicior. i. l 3. C. de commerc. et mercat.* Multo minus qui debita eruditione non ſunt inſtructi, beneficio gaudent, hi enim dicuntur *Doctores neceſſitatis,* cum ne- **An beneficium noſtrum omnibus Dd. et omnibus Aduocatis competat? negatur. Ratio.**

 ceſſitas

ceſſitas non habeat legem, neque illi ſubiiciatur. *vid. c. 4. X. de R. I. et c. 4. de conſuetud.*

§. XIV.

Auſonii verſus adducuntur.

Dum finem dictis imponere volo, in mentem adhuc veniunt verſus illi AVSONII, quibus indoctum perſtringit Doctorem, et ſic ſonant:

Iuriſconſulto cui nubit adultera coniux
Papia *lex placuit*, Iulia *diſplicuit:*
Quaeritis vnde ſit haec diſtantia, ſemiuir ipſe
Scatiuiam *metuens, non metuit* Titiam.

Horum ſenſus.

Hiſce ludit Poëta in Iurisconſultum. Verum autem horum verſuum hunc eſſe ſenſum dicunt: *Lege Papia* propoſita erant praemia iis, qui vxores ducebant, haec igitur Doctori placebat, iuxta voluntatem nubenti; *Lex Iulia* e contrario diſplicebat, quoniam poenam adulteriis imponit, quaſi ipſe delectaretur vxoris adulteriis. Cum vero parum pudice viueret, erat obnoxius poenae *Legis Scatiniae*, proſequentis eos, qui muliebria patiuntur, ideo eam timebat. Denique cum propter eius imperitiam nemo eo patrono vti vellet, non erat, quod metuet *legem Titiam*, quaſi *eum* nullis muneribus et donis coleret, nam per eandem legem *Titiam* prohibebantur Aduocati munera accipere, et ita huiusmodi carmina exponit ZASIVS BRIGANTINVS, *in catal. legum antiquar. ad leg. Cinciam, de donis et muner. Tom. I. fol. 255.* quidam *in dict. verſib.* CINCIAM non TITIAM legere malunt,

lunt, quibus tamen reſpondet STEPH. GRATIANVS *diſceptation. forenſ. Tom. I. cap. 186. n. 44. ſeqq. p. m. 445.*

§. XV.

Haec de indignis Doctoribus; de Aduocatis autem iſtis, qui iuramentum iuſtitiae praeſtitum ſusque deque habent, audiamus BERNAR. *in lib. de conſiderat.* *Miror*, inquit, *quemadmodum aures diuinae poſſint huiusmodi diſputationes Aduocatorum, et pugnas verborum audire; Corrige Deus prauum morem, praecide linguas vaniloquas, labia doloſa claude; Hi enim ſunt, qui linguas ſuas docuerunt, loqui mendacium, diſcreti aduerſus iuſtitiam, eruditi pro falſitate, ſapientes vt faciant malum, eloquentes vt impugnent verum. Hi ſunt qui inſtruunt, a quibus fuerunt inſtruendi, aſtruunt non comperta, ſed ſuas ſtruunt calumnias innocentiae, deſtruunt veritatis ſimplicitatem, et conſtruunt iudiciis vias.* *Conf.* TIRAQVELL. *de nobilit. cap. 31. a num. 532. vsque ad num. 541.* vbi multa huc pertinentia adfert.

§. XVI.

Dicta vero et ſimilia quae longa ſerie in ZIGLERI *arte rabuliſtica* euolui poterunt, ad cordatum et conſcientioſum Aduocatum nullo modo pertinent, de hoc enim verum eſt omnino quod ſcribit ANASTASIVS *in l. 4. C. de Aduocat diuerſ. iudicum*, nimirum: *laudabile vitaeque hominum neceſſarium aduocationis eſſe officium, et maxime Principalibus praemiis oportere remunerari.* Neceſſitatem hanc, cum vidiſſet

Aduocati officium eſt laudabile.

Praetor

Praetor apud Romanos, merito edixit *l. 1. §. 4. de poſtul.* *Si non habebunt Aduocatum, ego dabo.* Id quod etiam in noſtris iudiciis, in cauſſis tam ciuilibus, praeprimis pauperum, quam criminalibus, haud raro obſeruatur, partes enim litigantes, ſine Aduocato comparentes iudex plerumque admonet, vt Aduocatum adhibeant, ne damnum incurrant, et deinde nimis ſero, poſt vulneratam cauſſam remedium quaerant.

§. XVII.

Plura adducere, quamuis eſſet faciliimum, inſtituti tamen ratio non permittit. Ex dictis etenim L.B. facili negotio iudicare poterit, nos non ſine ratione adſtruere: *Aduocatis beneficium competentiae denegandum non eſſe.* Diſſentientibus quidem libertatem ſuam linquimus, noſtram vero, vbi rationibus vero ſimilibus ſuffulti ſumus, reſtrictam eſſe, non patimur.

TANTVM.

Digitized by Google